



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XXV.

De
ANIMA GENERA-
TIM, ET SPECIATIM DE
VEGETANTE.

Quam,
Auxiliante benigne Deo Ter Opt. Max.
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colieg. Philos. Adjuncti,
Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,
JOHANNES LASDORPHIUS
 Hadelensis Saxo

In celeberrimã VVittebergensi Academia,
ad diem 10. Novemb. hora & loco solitis.

Seneca lib. i. Epist. 8.
Cogita, ð HOMO, in Te præter Animum nihil esse mirabilo,
cui magno nihil magnum est.

VVITTEBERGÆ,
 Typis Iohannis Gormanni, ANNO M. DC. X





V I R I S

*Tum reverenda dignitate, tum pietate, do-
ctrina, virtutumq; laude praclaris;*

Dn. IOHANNI SANDERO,
DIACONO ECCLESIAE, QVÆ
colligitur zum Altenbruch/ vigilan-
tissimo, Patrueli suo suavissimo.

Dn. BERNHARDO LASDORPHIO,
Ludi Moderatori zur Yüdingfwort in Hadlen/
Parenti suo, debita observantia colendo,

N E C N O N

*Vita integritate, erudita doctrina, aliarumq;
virtutum genere conspicuis Viris,*

Dn. CHRISTOPHORO bey'm Graben.
Dn. VVILLICHIO Wolbrun.

**Dn. meis fautoribus, plurimum ho-
norandis.**

I N

*observantia testimonium,
grati animi pignus,
No vi deniq; anni felix auspiciam*

*Γύμνασια hoc Φυσικόν
sacro mitteroq;*

Johannes Lasdorpius.

P R Æ L O Q V I U M.



Verba, auro contra habenda, Ocelli Philosophorum Platonis sunt, in Alcibiade 2. quod Philosophi oratio tempore jugis sit, semperq; auditu venerabilis, intellectu utilis, relatu suavis: Quae si alicubi veritate nituntur manifeste me-Christe in Physiologicarum expositione ac enodatione rerum tam insignitè tamq; sunt perspicuè vera, quam quae verissima esse possunt. Etenim in illa non temporanea aliqua, aut ob rerum tenuitatem exilitatemq; citò est deficiens oratio reperitur. sed ut in virtuti: in itinere nulla quies nullusq; terminus, ita in hac nulla perpeui sermonis ac profectus intermissio: Quaequā nam versum Physiologus mentis suae oculos dejicit, semper ipsi aliquid occurrit, in quo industriam suam probet, ac quod non potest non in considerationem suscipere suam, seu supera spectet, seu infera attendat, seu dextrorsum se moveat seu vertat se sinistrorsum. Nec anxium laborem aut sterilem operam in rebus frugis nullius, nulliusq; pensi capit, verum frugiferum studium in rebus divinitate praestantiss: suavitate refertiss: utilitate commendatiss: unice insumit, ut hic locum omnino inveniat illud Theodoretus, in lib 9 de provid. in pr. κατὰ τὸ ἐμὸν τῶν πόνων ἰσόρροον, ἀλλὰ καὶ ποικίλον. Imò ut aqua maris dulcior nullibi non in imo est, quam in summo: Sic suaviora semper evadunt Physiologiae studia quo magis penetrantur, intensaeque mentis acie magis considerantur. Hoc ipsum licet in praegressis Exercitationibus alare omnino advertere ad usq; sufficientiam. Nobis datum, & maximè in Hominis ejusq; spectatione corporis, nimis manifestarium fuerit: Magis tamen in propatulo erit in alterius Ipsius partis, Anima nimirum contemplatione, quae jam & monitu & ductu exactioris Ordinis hactenus observati suscipienda est, quaeq; ob rerum ubertatem verbis vix exprimi, ob suavitatem & utilitatem egrè absolvi potest, utur difficultatibus & multis & arduis circumflua. Dum vero omnis, juxta Poetae effatum — Humanas oblimat copia mentes: Haec saltem vice de Anima generali theoria, & speciatim de Anima Vegetante aliquid circumcisè sanè nulloq; dispendio verborum adhibito, in insequentibus Aphoristicis Thematibus daturi sumus.

T H E S I S I.

Antè omnia, ne frustra quis sit, hic non transitoriè attendendum, non univèrsim, prout Anima quaedam separata est essentia, actuq; purissimus, quem considerationis sibi vendicat modum disciplina ἀρχαῖα τῆς ἡγεμονικῆς: Sed tantè in essentia, quam in relatione ad corpus obtinet, & generalium affectionum ratione; Contemplari Animam nobis impraesentiarum esse animum, lib. 2. Phys. s. 26 lib. 1 de Animat. 17 lib 10 Metaph. c. 3; 11. Ejus verò τὸ ὄν nemo, nisi ἀπὸ τῆς διαβολῆς laborans, negabit, cum operationes ceu effecta causa ὑπερξεν praesupponere de facili ostendi queat: Valeat proinde Dicaearchus, qui, Ciceronis testimonio in lib. 1. Tuscul. q. q. in sermone Corinthi habito, & temerè & impiè Anima nomen inane esse, nullamq; eius esse naturam, adfirmare non erubuit, id quod & fecit Aristoxenus, si Lactantio credimus, in lib. de Opif. Dei, cap. 16, quorum vel opiniones prodidisse, est resutasse, Hieron. adu. Pelag.

B b 2

Cum

III. Cum igitur Anima non sit $\mu\eta\ \acute{o}\nu$, erit ex necessitate aut substantia, aut Accidens, cum his differentijs communissimè & latissimè dividatur ipsum Ens, ut patet ex lib. 3. Metaph. cap. 2. & lib. 4. cap. 7. Accidens autem eandem esse dixere, tum Pythagoras & Xenocrates, qui numerum se ipsum moventem, tum Empedocles, qui harmoniam Elementorum, tum Andronicus Peripateticus, qui temperamentum esse adseruit.

IV. Verùm longè absurdissima est opinio hæc, ac hoc unico quasi ariete confringi potest, quod nulla substantia componatur ex accidentibus lib. 1. Phys. cap. 3. Ex animâ verò & corpore maximè componitur substantia, ut id nimis est in claro; Ergo nec anima, nec corpus esse potest accidens. Ut silentio involvatur, quod Anima destructo corpore superstes maneat, id quod ab Accidente longè est alienum; Et quod nobiliss. operationum, ab accidente minimè dependentium, causa sit unicè.

V. Igitur Anima Substantia: Verùm hæc triplex est, Materia, forma, & compositum seu τὸ δὲ ἓ, lib. 2. de Anima 1. 2. lib. 7. Metaph. cap. 3. ex quibus citra ullam aliquam dubietatem aliquid & Ipsa erit. Materiam autem voluere esse illi, qui naturalia principia in Materiâ tantum quasi verunt, quales fuere Parmenides, Melissus, Thales, &c.

VI. Sed contrà ipsissimam Veritatem: Materia siquidem est δύναμις, est passibilis, & potentiâ tantum ὑπὸ τοῦ ζῆν habet, nihil operatur, continetur non continet, informatur non informat, quæ de Anima nullâ queunt adfirmari ratione. Imò si materia esset, cum corpore uniri non posset, nec animal aliquod efficere: Quia non nisi potentiâ rationem haberet, ut est & ipsa corporis ratio; Potentia autem cum potentiâ nullam facit essentiam.

VII. Deinde aliqui Veterum Animam compositam aliquam & sensibilem esse substantiam docuere, & partim inter Elementa collocarunt, unde Parmenides eandem Ignem, Diogenes aërem subtilissimum, Critias sanguinem, ἀναδύπιασιν Heraclitus, Hippon aqua, Empedocles mixtum statuit esse &c. partim ex atomis animam composuerunt, ut Democritus, Leucippus lib. 1. de Anima cap. 2.

VIII. Atenim iterùm cum jactura Veritatis, quæ anima nostratâ est Philosophiæ, Scalig. Exerc. 3: Nam quantum ad posterius de Atomis, exerte & firmè dat probatum Sapientiæ dux Aristoteles, merum illos ipsos esse otiantis ingenij figmentum, in lib. 1. de Anima cap. 4. & lib. 1. Phys. cap. 4. quem opera est vidisse.

IX. Quo ad prius, est in aprico Elementa in sese commutari posse, ut ex aëre

aëre fiat aqua, ex aqua terra, lib. 3. de Cælo t. 55. & quod gravitate & levitate, primisq; quatuor queant qualitatibus discerni, lib. 2. de gen. & corr. 2. 7. Nihil autem horum Anima vel aliquantillâ ratione competit. Et cur non omnia corpora naturalia essent animata, cum omnia tamen ex Elementis composita? Lib. 1. de Anima t. 81.

X. Deinde si anima corpus aliquod esset, Elementis etiam ipsis tenuius & subtilius, duo corpora se penetrabunt, quod ἀδύνατον est, scilicet valde. Ad hoc corpus ab Anima patitur, non corpus à corpore, si in eo aliquod esset repertum: Ratio validissima sub manu hac est, quia ὁμοίον ὑπὸ ὁμοίῳ ἀπαιτεῖται, lib. 1. de Anima t. 72.

XI. Quos circa ex sufficientissimâ hac partium enumeratione est liquidissimum: Animam esse Formam seu Actum, non separatam, quia subjecto inest, lib. 2. de Anima t. 4. & 26. scilicet inexistentem, qui duplex, aut primus, qui est forma & habitus rei, disponensq; & denominans subjectum ex suâ Naturâ, ac in ἐξείκει καὶ ἀτήσει; Aut secundus, qui in ἐνσερχείᾳ καὶ χεήσει consistit, lib. 9. Metaph. cap. 9.

XII. Anima autem minimè est Actus secundus, quia hic est accidens, & πᾶσι χωρὶς ὄν, & illa etiam non est motio, operatiove ipsa, sed causa, fons & radix operationis omnis, lib. 2. de Anima t. 2. 5. 8. & c. Igitur primus erit, seu ἐσιώδης, & quidem, forma enim ad materiam relationem habet, corporis, cui inexistit, seu cum quo est, & unum quid constituit.

XIII. Non verò est corporis Mathematici, cum sit quantitas; Nec corporis Artificialis, quia & forma talis, quâ talis, accidens est; Ergo de omni necessitate erit ἐντελέχεια corporis Physici, Ibid, t. 3. Hec cum sit vel homogeneum, vel heterogeneum seu organicum: Non est illius, quia diversitas operationum animalium organorum quoque diversitatem, quibus sine anima agit nihil, requirit; Sed huius, in quo unumquodq; membrum alterius causâ factum est, similiter & totum, lib. 1. de part. Anim. cap. 1.

XIV. At non sunt αὐτοκίνητα illa organa, nec sibiipsis vitam largiri possunt: Hac tamen illa δυνάμει Natura ornavit ac conditoravit, ut suâ quadam habilitate & promptitudine actu fieri vite participia, præsentem animâ scilicet, possint. Proinde ex his omnibus talis resultat Animæ definitio, quod ipsa sit ἐντελέχεια ἢ πρώτη σώματος φυσικῆς, ζῶν ἔχοντος δυνάμει, τοῖσδε δὲ ὅ ἂν ἢ ὀργανικόν, lib. 2. de Anima t. 6. & 7.

XV. Et haec vera, solida atq; essentialis Anima est definitio, ipsius tō tī nō
ἐν ὧν in quantum Physicae contemplationi subjicitur, & prout informandi est
principium, perfectē exprimens: Prout autem operationum est principium,
id quod, ut formarum universim omnium, sic & ipsius est Anima officium alte-
ram, aliter à Philosopho definitur, Ibi d. t. 15. & 24.

XVI. Cum enim animatum ab inanimato differat operatione vitae, ab Ani-
ma ipsa, ut à principio vitae, orta; Et cum quatuor sint viventiu genera, quae
duplici vitae modo à se invicem distincta; (Nam quaedam vegetantur tantum,
quaedam & vegetantur & sentiunt, quaedam vegetantur, sentiunt & locomo-
ventur, quaedam deniq; & vegetantur, sentiunt, locomoventur, & intelli-
gunt) consequitur omnino Animam rectē dici principium vegetandi, sentien-
di, locomovendi ac intelligendi primò.

XVII. Siquidem has operationes omnes in corporibus animam edere ma-
nifestissimè, nunquam non advertere licet: Quamdiu namq; adest Anima
tamdiu vegetamur & vivimus, tamdiu sentimus, locomovemur ac intelli-
mus: Ut sic Anima haec definitio & quoad inventionem, & quoad veram in-
telligentiam cum Natura definitione ex asse conveniat.

XVIII. Quā autem organicum informet Anima corpus, an tota totum, &
partes omnes tota, num verò tota totum & pars partem, nimis est contro-
versum: Ne g. in labyrinthos absurditatu hic nos induamus, cautè & distin-
ctè est agendum. Proinde si quaestio est de toto essentiali, num scilicet anima
secundū suam essentiam toti corpori adsit & cuilibet corporis parti, an secus?

XIX. Ibi affirmativam per omnia tenemus partem, & illam secundum
essentiam in toto, & in omnibus partibus, nec in majoribus majorem, nec mi-
norem in minoribus, sed in minimis perfectam, & perfectam in maximis esse
concludimus: Anima enim, ubi ubi essentiae ratione est, ibi tota est, aliās
namq; divisibilis, quanta, materiata & corporea esset; Estq; in omnibus cor-
poris partibus, quippe cum ad modum omnium formarum extendatur etiam
ad extensionem materiae, lib. 8. Phys. t. 78.

XX. Negare interim nolumus, membrum aliquod, in quo tanquam in ra-
dice resideat, & ex quo ad reliquas corporis partes derivetur & assundatur
anima, in quo esse principale & radicatum, in reliquis verò participatum ob-
tineat, quod in animalibus perfectioribus cor, in alijs, ut & in plantis partem
aliquam cordi proportionem respondentem statuimus, concedendum esse, lib. 3.
de part. anim. c. 4. 5. & 7.

XXI. Sin verò res quaestio est de Toto quantitativo, ibi Animam per se
quidem

quidem quantam, quantitate molis, non esse, ex accidente tamen talem fieri,
& ad extensionem corporis extendi, proindeq; totam secundum extensionem
suam in toto esse, non autem totam in parte, sed in parte partem indubitanter
statuimus: Materia enim unio & conjunctio necessario hoc efficit, ut aequè u-
triq; extendatur, & in parte materia pars formæ, & hæc pars formæ in hac,
non etiam sit in illa vel aliâ materia parte.

XXII. Sin demum queritur de Toto potestativo, an scilicet potestates animæ
omnes in singulis reperiantur corporis partibus? Ibi expedita est responsio,
quod quidem in omnibus originaliter reperiantur, dum animam ut princi-
pium & originem suam semper insequantur immediate; In omnibus tamen
non omnes sed peculiare in peculiaribus subjectivè inhereant, nî excipere ve-
lis nutritivam & augmentativam facultatem, quæ per totum corpus diffusa
videtur, lib. 2. de Animat. 20.

XXIII. Ceterum ratione Informationis Anima in species dispeccitur, quæ
ut ex operationibus specificè distinctis patescit, tres sunt numero, Vegetativa,
quæ vitam, Sensitiva quæ sensum, & Intellectiva, quæ supeditat intellectum;
Sicq; habent se, ut inferior esse possit sine superiore, non contrâ, sola q; ultima
nomen actus formæq; obtineat, & reliquas tanquam ab ipsa determinatas,
potestate contineat, sicut triangulum in quadrangulo, illarum etiam actio-
nes ita coarctet, ut non sint generales amplius, sed hujus speciei evadant pro-
pria, lib. 1. 27. & 31.

XXIV. Respectu autem Operationis in varias dirimitur Anima facultates,
quæ sunt conditiones & aptitudines ad operandum ab anima naturâ
immediate resultant, ac quæ realiter differunt nec ab anima, nec inter se,
sed formaliter: Id quod declaramento est tum divinitas & simplicitas Ani-
mæ, esu q; perfectio, tum unitas objectorum, tum conditio functionum, quæ
opera sunt immanentia, quæq; immediate ab agente produci possunt, tum
deniq; mutua potentiarum inclusio, Scal Exerc. 307. sect. 15 & 339. sect. 2.

XXV. Verum accedendum est ad specialia: Anima proinde Vegetans est,
quæ animatum corpus assumpto nutrimento nutritur, augetur, sibiq; simile
progenerat. Officium idcirco animæ hujus duplex est, consistens in Nutrica-
tione, quæ individui & similis procreatione, quæ speciei conservationi inser-
vit, lib. 2. de Animat. 48.

XXVI. In nutritione tria requiruntur: 1. Id quod nutritur, estq; com-
positum seu corpus vivens in quo tria aluntur, spiritus, humores, & partes
solide; 2. Quo nutritur, estq; ipsum nutrimentum, eibus scilicet digestu &
assimila.

assimilatus; 3. Quod nutrit, & est ipsa Altrix anima, qua nutritionem perficit appositione, agglutinatione, assimilatione.

XXVII. Instrumentum nutritionis primum est calor conatus: Secundarium est facultas concoctrix, alteratrix, retentrix, & expultrix, lib. 4.

Meteor. c. 2. & 3. Hanc vero nutritionem insequitur facultas Auclrix, qua corpus ex assimilato alimento nutritum, in omnes dimensiones extenditur, & magnitudinem justam consequitur, qua habitata, haec quidem non perit, sed enim cessat, Scalig. Exerc. 101. Sect. 17.

XXIX. Generatrix facultas, naturalis: opus in viventibus, perfectissimum: item & praestantissimum: est qua simile sibi procreat ad speciei conservationem: ipsi inserviunt tum vis alteratrix, qua materiam generationis, semen, scilicet, varie mutat & alterat; tum vis formatrix, qua corpus ipsum distinctius efformat, lib. 2. de An. t. 48. Haec de anima vegetante ipsa.

XXIX. Hujus quasi affectiones sunt, Vita & Aetas: Illa est anima ejusque organi corporis, per unionem utriusque actus & vigor, qui unice in caloris & humidi radicalis legitimam mensuram & contemperatione consistit; Unde Mors nil aliud quam omnium animae functionum cessatio, propter caloris nativi extinctionem, & hanc vel naturalem, vel violentam, humidique radicalis absorptionem, Arist. lib. de Vita & Morte c. 2. Scal. Exerc. 307.

XXX. Haec est temperamenti in corpore viventis, maxime humani, evidens atque tempestiva mutatio pro ratione incrementi & decrementi calidi & humidi: Hinc quatuor potissimum aetatum gradus, Adolescentia, cis ultra 25. annos durans; Iuventus, qua ad 35. aut 40. porrigitur; Aetas declinans, cui 50. aut 55. pro termino sunt anni; Et demum Senectus, qua vere morbus est, vitamque claudit. Et haec insimul nostram claudat praesentem exercitationem.

A D J E C T A N E A.

I. Anima nequaquam ut nauta navi assistit corpori. 2. Et haec sui est domicilij architecta. 3. Hominem aliud nil quam esse animam nimis licenter Plato adservit, in 2. Alcibiad. 4. Idem ille male locis & subjectis species animae divulgavit, in lib. 4. Polit. 5. Animam quoque medium esse quid inter corporeum & incorporeum frivole probare conatus est Patricius in lib. 2. $\pi\alpha\mu\psi\upsilon\chi$. 6. Animantia absque ulla quietis intercapedine nutriuntur. 7. Vtrum certus vitae humanae terminus designari possit, praegnantem dubitamus. 8. Neque tamen eternum servari posse Hominem licet rerum non-naturalium usurpatione credimus. 9. Interim vitam aliquandiu produci posse statuimus. 10. Non est optimum in natura diutius vivere, sed sapientissimum.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.
I S P U T A T I O
ATIONUM PHILO-
HICARUM XXV.

De
A GENERA-
T SPECIATIM DE
EGETANTE.

Quam,
te benignè Deo Ter Opt. Max.
SUB PRÆSIDIO

IÆ T I L E M A N I

Colleg. Philos. Adjuncti,
ritaj gratiã defendendam suscipiet,
NES LASDORPHIUS
Hadelensis Saxo

à VVittebergensi Academia,
10. Novemb. hora & loco solitis.

eneca lib. I. Epist. 8.
in Te præter Animum nihil esse mirabile,
magno nihil magnum est.

WITTEBERGÆ,
s Gormanni, ANNO M. DC. X

